

hos quoque paterentur accentus: מכבש שנים עשר אנשים **וַיִּקְחֶה** Sed loco — paschtæ distinctivi minoris, ponitur servus — præcedente alio — Munacho, & in locum majoris — Rbhia succedit minor — paschta, cuius mutationis nulla alia dari potest ratio, quam quod vox secunda & tertia a lectore celeriter pronuntiata sit. Hoc luculentius patebit, si alia quædam loca subjiciamus. Num. IX. i. quatuor voces tribus — Munachis conjunctas legimus:

**וַיֹּאמֶר יְהוָה אֱלֹהִים מֵשֶׁה בְּמֹרְכָבָה סְנִי:**

*Et loquebatur Dominus ad Mosen in deserto Sinaï.*

Si accentus primario indicarent, quæ voces grammaticæ connectendæ vel distinguendæ essent, loco servi — Munachi aliquoties distinctivi ponendi fuissent; sed quoniam illi pronunciationem primario moderantur, eas voces conjunctim & celeriter pronuntiandas esse ostendunt. Eodem modo Jer. XXXV, 15. septem voces ob eandem rationem sex servis connectuntur. Ne dicas nullos superfluisse accentus, quibus voces istæ signarentur; accentus enim aliquoties alias repeti, nemini est ignotum. Qui hæc mecum accuratius pensaverit, facile perspiciet, quod accentibus abutantur, qui non ex vocibus, sed ex accentuum positu mysteria eruunt. Sic quidam Jes. IX, 5. Christi naturam divinam & humanam ex accentuum ordine cognovisse sibi persuaserunt, quod duo adsint membra paria, quorum prius — Rbhia, alterum Sakeph — parvo, uti hic conspicis, distinctum est.

**כִּי־יָלֹד יְלֹד־לְנוּ בָּן־נָתֵן־לְנוּ:**

*Nam puer natus est nobis, filius datus est nobis.*

In vocibus mysterium latere non negatur, sed accentibus illud indigitari mihi non est perspicuum. Si enim accentus h. l. duas naturas exprimunt, necesse est, ut in aliis verbis iisdem accentibus stipatis idem faciant. V. g. Jes. LXIV. v. 1,

**כְּרוּכָה אֲשֶׁר הַמְסִים מִים תְּבֻעה־אֲשֶׁר:**

*Prout ardet ignis liquefactionum; sic aquas ebullire faciet ignis.*

Ubi idem accentuum positus observatur. Sic voce בָּנֵי filius accentu — signata excellentiorem naturam divinam indicari, quidam existimant, quoniam vox ea etiam servo — Munacho sequenti voci annexi potuisset. Quod si esset verum, necessario sequeretur ut I. Chron. I, 44. פֶּלֶע בָּנֵי בָּעָור Pela filius Beor, naturam quoque divinam possideret, quia פֶּלֶע euudem — Jethib habet comitem. In eodem Jesaiæ loco aliis accentuum abusus occurrit, quando illorum virtute nomina Christo imposita, eidem denegantur, & Deo nominanti tribuuntur. Ut hoc evidenterius percipiatur ipsum accentuum ordinem apponam:

**וַיִּקְרָא**